

EVANGELIA  
IN  
FESTIS.  
CIRCUMCIS: DOMINI,  
CORPORIS CHRISTI,  
ET  
SS: ROSARII, B.V. MAR:  
SECUNDUM MYSTERIA  
COLLECTA.

QUÆ  
IN PROCESSIONIBUS PUBLICIS CANTA-  
RISOLENT in ORDINE PRÆDICATORUM

Impressa SUPRASLII Sumptibus Conventūs Choroscensis Ejusdem  
Ordinis.

Annō Domini 1765.



# IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

## PRIMUM EVANGELIUM.

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spir. &c.  
Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

*Lucæ 2.*

**I**N Illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer: vocatum est Nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.

## SECUNDUM EVANGELIUM.

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spir. &c.  
Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæū.

*Math. 2.*

**C**um natus esset JESUS in Béth-lehem Judæ in diébus Heródis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolimam, dicentes: Ubi est qui natus est, Rex Judæorum? vidi-mus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Jerosolima cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur a his, ubi Christus nasceretur. At illidixerunt ei: In Bethlehem Judæ. Si enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Juda, non quam minima es in principiis Juda: ex te enim exierit dux, qui regat populum meum Isræl. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus Stellæ, quæ apparuit eis: & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de Puerō: & cum invenieritis, renunciáte mihi, ut & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent Regem, abierunt. Et ecce Stella, quam viderant in Oriente,

antecedebat eos, usque dum véniens staret suprà, ubi erat Puer. Videntes autem Stellam, gavisi sunt gaudiō magnō valde. Et intrantes domū invenerunt Puerum cum MARIA Matre eius, (*Hic genu flebitur.*) & procidéntes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrā. Et responsō acceptō in somnis ne redirent ad Herodem. Per aliam viam reversi sunt in régionem suam.

## TERTIUM EVANGELIUM.

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.  
Initium Sancti Evangelii secundum Marcum.

*Marcii 1.*

**I**nitium Evangelii JESU Christi, Filij Dei. Sicut Scriptū est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite Semitas ejus. Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jerosolimitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata Sua. Et erat Joannes vestitus pilis camelī, & zonâ pelliceâ circa lumbos ejus, & locustas & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens: Venit fortior me post me: cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aquâ, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto. Et factum est: in diebus illis venit Jesus à Nazareth Galilææ: & baptizatus est à Joanne in Jordane.

*Et ita.*

Et statim ascendens de aqua, vidit Cœlos apertos, & Spîritū tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso. Et vox facta est de cœlis: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

#### QUARTUM EVANGELIUM.

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.  
Sequentia Sancti Evangelii secundū Mathxū.  
*Math: 17.*

DOMINUS VOBISCUM. R. ET CUM SPIRITU TUYO.  
SEQUENTIA SANCTI EVANGELII SECUNDU MATHXU.  
*MATH: 21.*

**I**N illo tempore: Assumpsit JESUS Petrum, & Jacobum, & Joannem Fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias, cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad JESUM: Domine bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula; tibi unum, Moysi unum, & Eliae unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit JESUS & tetigit eos, dixitque eis: surgite, & nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum JESUM. Et descendantibus illis de monte, præcepit eis JESUS, dicens: Nemini

**I**N illo tempore: Cum appropinquaret JESUS Ierosolimis, & venisset Béthphage ad montem Oliveti: tunc misit duos Discipulos suos, dicens eis: Ite in castellum, quod contrà vos est, & statim inventis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confessim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophétam, dicentem: Dicite, filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansvétus, sedens super asinam, & pullum, filium subjugális. Eúntes autem Discípuli fecerunt, sicut præcepit illis JESUS. Et adduxérunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & cum desuper federe feciunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine Domini.

## IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

#### PRIMUM EVANGELIUM.

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.  
Initium Sancti Evangelii secundū Matthxū.  
*Math: 1.*

**L**iber generationis JESU Christi filii David, filii Abraham.

Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus. Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Efron. Efron autem genuit Aram. Aram autem

autem genuit Amínadab, Amínadab autem genuit Naásson. Naásson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David Regem. David autem Rex genuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aia. Afa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manássem. Manásses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, & Fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis: Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorólabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum MARIÆ, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.

#### SECUNDUM EVANGELIUM.

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.  
Initium Sancti Evangelii secundum Marcum.

*Marcii* i.

**I**nitiūm Evangelii Jesu Christi, Filij Dei. Sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum poenitentiæ in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Iudeæ regio, & Hierosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordánis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis camelī, & zonâ pelliceâ circa lumbos ejus, & locustas, & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens: Venit fortior me post me: cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizavi vos aquâ, ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto.

#### TERTIUM EVANGELIUM.

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo,  
Initium Sancti Evangelii secundum Lucam.

*Lucæ* i.

**F**uit in diebus Herodis Regis Iudeæ Sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia; & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elisabeth. Erant autem Iusti ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Dominis sine querela, & non erat illis filius, eò quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis, factum est autem, cum Sacerdotiō fungeretur in ordine vicis suæ ante DEUM, secundū consuetudinem Sacerdotij, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini; & omnis multitudo populi erat orans foris horâ incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est, videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quóniam exaudita est deprecatio tua; & uxor tua Elisabeth páriet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem: & erit gaudi-

um tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: & vinum, & siceram non bibet, & Spiritu Sancto replabitur adhuc ex utero matris suæ: & multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum in Spiritu, & virtute Eliæ: ut convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum, patare Domino plebem perfectam.

#### QUARTUM EVANGELIUM.

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.  
Initium Sancti Evangelii secundum Joannem.

*Ioan: i.*

**I**n principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebrae eam

non comprehendenterunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Johannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his, qui credunt in Nominе ejus: qui non ex sangvinibus, nequè ex voluntate carnis, nequè ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. (*Hic genu spectatur.*) Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

## IN FESTO SACRATISSIMI ROSARII BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIAE.

#### PRIMUM EVANGELIUM.

Domiuus Vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.  
Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

*Luca: i.*

**I**n Illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à DEO in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem sponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de Domo David, & Nomen Virginis MARIA. Et ingrēsus Angelus ad eam, dixit: Ave gratiâ plena: Dóminus tecum: Benedic̄ta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et erat Angelus ei: ne timeas

MARIA; invenisti enim gratiā apud DEUM: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit Illi Dominus DEUS Sedem David Patris ejus: & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem MARIA ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognōsco? Et respondens Angelus: dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoquè, & quod nascetur ex te San-

**S**icut nō, vocabitur Filius Dei. Et ecce  
Elisabeth cognāta tua, & ipsa concé-  
pit Filium in senectute sua: & hic  
mensis sextus est illi, quæ vocatur  
Bérilis: quia non erit impossibile  
quod apud DEUM ómne verbum. Dixit  
autem MARIA: Ecce Ancilla Domi-  
ni, fiat mihi secundūm verbum  
tuum.

**SECUNDUM EVANGELIUM.**

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.  
Sequentia Sancti Evangelii secundūm Lucam.

*Luke 1.*

**I**N illo tempore: Exurgens MARIA, abiit in montaña cum festi-  
natione, in civitatem Iuda: & intrá-  
vit in domum Zachariæ, & salutavit  
Elisabeth. Et factum est, ut audivit  
salutationem MARIE Elisabeth, exultavit  
infans in utero ejus: &  
replēta est Spiritu Sancto Elisabeth:  
& exclamavit voce magna, & dixit:  
Benedicta tu inter mulieres, & bene-  
dictus fructus ventris tui. Et unde  
hoc mihi, ut veniat mater Domini  
~~mei ad me~~ ~~ecce enim~~ ut facta est  
vox salutationis tuæ in auribus meis,  
exultavit in gáudio infans in utero  
meo. Et beata, quæ credidisti, quoniam  
perficiuntur ea, quæ dicta sunt tibi à  
Domino. Et ait MARIA: Magni-  
ficat ánima mea Dóminum: &  
exultavit Spiritus meus in DEO  
Salutari meo.

**TERTIUM EVANGELIUM.**

Dominus Vobiscum R. Et cum Spiritu tuo.  
Sequentia Sancti Evangelii secundūm Lucam.

*Luke 2.*

**I**N illo tempore: Exiit edictum à  
Cæsare Augústo, ut describerétur  
universus orbis. Hæc descriptio  
prima, facta est à præfide Syriæ Cy-  
rino: & ibant omnes, ut profite-  
rentur singuli in suam civitatem.  
Ascendit autem & Joseph à Galilæa  
de civitate Nazareth, in Judæam in

civitatem David, quæ vocatur Beth-  
lehem: eo quod esset de domo, &  
familia David, ut profiteretur cum  
MARIA despontata sibi uxore præ-  
gnante. Factum est autem, cum  
essent ibi, impléti sunt dies, ut pare-  
ret. Et peperit Filium suum primo-  
génitum, & pannis eum invólvit, &  
reclinavit eum in præsepio: quia non  
erat eis locus in diversorio. Et Pa-  
triores erant in regione eadē vigi-  
lantes, & custodiéntes vigilias noctis  
super gregem suum. Et ecce Ange-  
lus Dómini stetit juxta illos, &  
claritas DEI circumfulsit illos, &  
timuerunt timore magno. Et dixit  
illis Angelus: Nolite timére: ecce  
enim evangelizo vobis gáudium ma-  
gnum, quod erit omni populo: quia  
natus est vobis hodie Salvátor, qui  
est Christus Dominus, in civitate Da-  
vid. Et hoc vobis signum: Invenié-  
tis infantem pannis involútum, &  
positum in præsepio. Et subito facta  
est cum Angelo multitudo militiæ  
cœlestis, laudantium Deum, & di-  
centium: Gloria in altissimis DEO,  
& in terra pax hominibus bonæ  
voluntatis.

**QUARTUM EVANGELIUM.**

Dominus Vobiscum. R. Et cum Spiritu tuo.  
Sequentia Sancti Evangelii secundūm Lucam.

*Luke 2.*

**I**N illo tempore: Postquam implé-  
ti sunt dies purgationis MARIE  
secundūm legem Móysi, tulerunt  
JESUM in Jerusalēm, ut fisterent  
eum Dómino, sicut scriptum est in  
lege Domini: Quia omne mæsculī-  
num adaperiens vulvam, Sanctum  
Domino vocabitur. Et ut darent  
hóstiam secundūm quod dictum est  
in lege Domini, par túrturum, aut  
duos pullos columbárum. Et ecce  
homo erat in Jerusalēm, cui nomen  
Simeon, & homo iste justus, & timo-  
ratus,

ratus, expectans consolationem Israël, & Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. Et venit in Spiritu in Templum. Et cum inducerent puerum JESUM Parentes ejus, ut fácerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accépit eum in ulnas suas, & benedixit DEUM, & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: Quia vidérunt oculi mei salutare tuum, Quod parasti, ante faciem omnium populorum; Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuae Israél.

#### QUINTUM EVANGELIUM.

Dominus Vobiscum. R. Etcum Spiritu tuo. Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

Luce 2.

Cum factus esset JESUS annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei Festi, consumatisque diebus, cum redirent, remansit Puer

JESUS in Jerusalem, & non cogoverunt Parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, veniunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Et non invenientes regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quaerebatis? Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, opportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis. Et Mater eius conservabat omnia verba hæc in corde suo. Et JESUS proficiebat sapientiam, & ætatem, & gratiam apud Deum & homines.

